

autem & valde leves cum vasis ligneis comparemus ; haut erit difficile conceptu, quo pacto cum adhuc maderent aëre plenæ minus gravitare in aërem subjectum quam postea vacuæ & compressæ, minusque adeò pendere, potuerint ; econtrà verò siccatae unà cum aëre suo plus urgere lanceam in aëre subjecto, quām postea exinanitæ & solitariæ potuerint. Accuratiùs tamen & exactiore quoque calculo, si luberet, liceret rem scitu haut indignam determinare , dummodo ea, quæ de gravioribus ac levioribus specie dictis, in Auctar. Part. I. p. 45. docuimus, ad casus præsentes decenter applicarentur. At enim nobis hac vice hæc tamen conjectaria ex dictis elicuisse sufficiat : 1. Procul dubio siccas etiam vesicas, dum explicitæ sunt & cavæ , minus gravitare in aërem lancesque subjectas, quām compressas, indeque fieri, ut, si maximè vesica siccior inflata unà cum aëre contento plus habeat pondus quam postea vesica compressa solitaria, excessus tamen ille ponderis reperiatur notabiliter minor eo pondere, quod equidem omnis ille aër, quem 5, 6, aut 7. vesicæ continent, habere deberet ; tametsi hoc loco illud etiam consideratur meritò, quòd omnis aër ex vesicarum plicis exprimi nunquam possit. 2. Ad aëris igitur pondus accurate determinandum hanc vesicarum Ponderationem minus aptam esse, quām aliorum vasorum solidorum , quæ plena & exhausta eandem figuram servant ; ad aëris pondus tamen in ipso aëre generatim solum demonstrandum eam rectissimè & commodissimè adhiberi ; præsertim cum 3. Hoc ipsum , quod primo intuitu arguento nostro videbatur officere , inopinatum Phænomenon XI. nunc illi robur addat haut exiguum. Si enim vesicarum compressarum minus est pondus quām inflatarum cum suo aëre, dummodo madidæ nimis non adhibeantur, & tamen compressarum earundem majus revera sit pondus in aëre quām inflatarum & cavarum, solitariè tamen & absque incluso aëre consideratarum , juxta constat. 1. eo magis indubium nunc est, excessum illum pondaris

Phænoma.
XVII. ejus-
que causa.